

virorum quidem ullus in musica praestantissimorum, non modo non superat, sed nec adaequat. Cum ad hendecachordum canis, cum acutam gravemque eodem utramque tempore, alteram ad lyram pulsas, alteram cantas, Gratiae te omnes ornant, circumstant stupescuntque. Quas utinam possem ita exprimere, ut, qui haec legeret, te audire putaret.

Sed dii boni, quae eloquentia? Quae argutiae? Qui sales? Quae iucunditas in conversando? Quae humanitas? Quae urbanitas? Longe merito iudicosisimus Benedictus Manzolius civis tuus et Episcopus Regiensis te non solum patri tuo Camillo viro eloquentissimo, sed etiam avo tuo, viro usquequaque magno Francisco Mario Molziae audet praeferre. His tot tantisque ingenii ornamentis comites sese addiderunt [290] nobilitas generis, pulchritudo eximia, mores animi insignes: pudicitia singularis, elegantes ac docti viri qui que non cives tantum tui, sed quotquot Italia, quotquot Europa protulit, Mutinam visunt, ut te Mutinae visant, ut mirentur, ut colant, cerebrum Iovis pene supremi alteram Minervam. Quanti te serenissimus Alphonsus Atestinus II. princeps noster? Quanti te Principes mulieres Lucretia atque Leonora, sorores eius, faciunt? Quanti Ferraria? Quanti Italia? Quanti Roma? Et in Roma una universus Christianorum orbis?

Sed proh dolor, postquam maritus tuus Paulus Porrinus, virorum optimus ad superos migravit, Musas omnes ac Gratias luctu ac tenebris obduxisti. Artemisiam alteram te factam dolemus. Fuit quidem ille tibi maritus incomparabilis. Sed et tu uxor illi incomparabilis et admiranda. Da locum prudentiae ac fortitudini tuae, da finem lachrymis. Hilari vultu atque animo tertium hunc discussionum mearum tomum quem gratitudinis tuorum in me meritorum ergo tibi do, dono ac dico, accipe. Ostendent tibi, quibus in rebus Aristoteles, vir pene summus voluerit a praeceptore Platone atque a vetustioribus philosophis praincipue discordare. Idque quam aequo, quamque iniquo iure fecerit, intelliges. Si quid inde aut fructus, aut oblectationis cooperis, mirum in modum me iuveris.